



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sulpici[i] Severi Presbyteri Opera Omnia

Sulpicius <Severus>

Amstelodami, 1665

Restitutio Iudæorum. Assamonæorum Principatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11490

traditionibus, gentilium ritu viverent. Nec defuere, qui profano imperio, volentes parerent. Tum vero fœdum spectaculum, per universam urbem, palam, in plateis, diis litabatur: sacra etiam legis & prophetarum volumina igni cremata.

XXX. Ea tempestate Mathathias, Johannis filius sacerdos

1 Diis litabatur.] Quinto & quadragésimo, & centésimo anno (id est, regni Græcorum) edificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, & per universas civitates Judæ in circuitu edificaverunt aras & januas domorum, & in plateis indebant thura, & sacrificabant, & libros legis Dei combusserunt, igni scindentes eos, & quicumque observabat legem Domini secundum edictum regis trucidabant eum. Idolum autem fuit Jovis Olympi. Sigon.

2 Sacra etiam legis & Prophetarum volumina.] Legis vocabulo intelligit quinque libros Moïsi & Prophetarum etiam Hagiographos, qui latiore significatione prophetæ fuerunt. Autor More (is est Moïses Ægyptius) de his, omnes scripti erant *ἑπτὰ βιβλῶν*, & omnes vocatur prophetæ. Ita sumes in illo, habetis legem & prophetas. Drus.

3 Mathathias.] Jos. XII. 8. 1. Macc. II. Græce est *μαθθαθίας*, prætulærim *μαθθαθίας*, id est, Mattathias, vel certe Mathathias. Nam in Historia Ebraica *מתתיהו*. Legitur & *מתתיהו*, unde *μαθθαθίας*, id est, Maththias. Quod in codice Aldino & apud Josephum. Addam pro corollario. In Johasin fol. 14. pag. 2. Anno mundi 3621. rebellavit Mathathias filius Johannis sacerdotis magni: & ipse est qui cognominatur Hasamonæus. Alibi est in eodem libro: *Matathias qui vocatur Hasmonæus*: & qui est principium Hasmonæorum. Drus.

4 Johannis filius.] Mathathias patrem habuit Johannem, avum Simonem. Neuter horum pontifex fuit. Quo circa non est credibile, Mathathiam pontificem fuisse. Quod tamen Ebraei temere nimis adfirmant. Nam ea tem-

pestate summum sacerdotium venale erat, quod pessimi quique consequebantur. Cognomen ei erat Hasamonæus: unde *Hasamonæus* & filii ejus: & fœdus quod inter Romanos & Judam filium *Hasamonæi*, id est, Mathathia. Hinc origo nominis Hasamonæorum, quo posterij ejus omnes appellantur, quos nos Machabæos vocamus. Diserte R. David ad vocem Hasmannim, quæ habetur Psal. LXVII. 32. *Mathathias filius Johannis vocatur Hasamonæus, & similiter filij ejus omnes vocantur Hasamonæi*. Minus bene Josephus, *Mathathias filius Johannis, qui fuit Simonis ex Hasamonæo geniti*. Nec melius autor Chronici Eusebius, *Matthathias quidem ex Sacerdotibus, filius Hasamonæi*. Drus.

5 Sacerdos erat.] Ex Hasamonæis Judas fere primus Pontifex haberi solet. Sed Sulpitius etiam patrem ejus Matathiam Pontificem fuisse ait. *Ea tempestate (Antiochi Epiphani) Matathias, Johannis filius (sic ille) Sacerdos erat*. Eo nomine Pontificem sæpius innuit. Et in Eusebii fragmentis, ubi notatur sexennium à nonnullis tribui Judæ Pontificarui (qui plerunque triennio terminatur, ut Josepho) adjicitur, *τὴν ἑξήκοντα Μαθθαθίας ἐστὶν ὁ ἀρχιερεὺς, ὃς ἴσθαι ἐστὶν ὁ*, quosdam trahere etiam *Matthathiam tricennio Pontificatum gessisse, & Judam sexennio*. De Matathia vide item Georgium Syncellum in Jos. Scaligeri Eusebianis, numero M D CCC LXVIII. Etiam & Ebraei non solum Matathias Pontifex dicitur, verum etiam pater ejus Joannes, ut videre est in Gemara Babylonia ad tit. *Megilla*, cap. 1. & in *Sepher Fuchasin* fol. 16. b. 25. b. 60. b. præter Gorionidem, alios. Unde sane